







*[Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.]*

1  
14  
2  
3  
4  
5  
6





1719.

1. Beckius, Caspar Sebastianus: De lege non obligente.  
2 Quæst. 1719<sup>a</sup> 1751.

2. Beckius, Caspar Sebastianus: Commentatio . . .  
in legem univ. Pad: si quis imperatori maledixerit.

3. Brucknerus, Guntelmu Hieronymus: De codice Theo.  
dosiano ejusque in Codice Justiniano usu.

4. Brucknerus, Gunt. Hieron, Fac. jur. protocoanus:  
etlectionem salutem, Jacobi Christophoro  
Gerhardo . . . resistendam . . . innotat postterque  
Christianis non esse licitum jurare, nisi in  
causa necessitatis . . . ostendit.

5. Brucknerus, Guntelmu Hieronymus: De prescrip-  
tione pignorum vel hypothecarum

6. Brucknerus, Gunt. Hieron, Fac. jur. decanus: adlectionem  
cur. a Coralo Henrico Reschtopf . . . habendam inri-  
cor et . . . nonnulla: De prescriptione ejusque temporibus

1719.

proponit.

7. Bruchnerus, Guil Hieron, Fac-jur-decanus: ad  
lectionem cursoriam a Georgio Huxore Zakus  
... habendam invitatur simulque: De latinitate  
corporis juris civilis, in pura satique probata  
sit, Dissertit... 12  
13  
14
8. Friesen, Jo. Bernhardus, Fac-jur-decanus: ad  
lectionem solennem a... Johanne Theophilo  
Bonpjo... habendam Programmata invita-  
torum. 15  
16  
17
9. Friesen, Jo. Benh, Ord-jur-decanus: Christophori  
Huxoris Gertenbergii... lectionem solennem invit.  
c. l. programmata auspiciis 18
10. Friesen, Jo. Bernhardus: De ordine apponendarum  
a reis exceptionum. 2 Sept. 1719-1744. 19  
20.
11. Friesen, Johannes Bernhardus: De tabulae et success  
sionis legitime nexu. 21



1719

12. Füsse, Johannes Bernhardus : De thesuro arte magica invento.
13. Hartmann, Johannes : De jurisdictione in ora et suorum causa.
14. Kromayer, Augustus Gottfriedus : An jure magistratus diversitatem religionum tolerare possit?
15. Pragemannus, Nicolaus : De patientia juridica.
16. Pragemannus, Nicolaus : De jure epitaphiorum.
17. Schroeterus, Dr. Christ. : De successione conjugum juxta statuta Gothana.
18. Schroeterus, Dr. Christ. : De pecunia habitacionis viduarum.
19. Stevoghinus, Dr. Martinus : De tumoribus tunicatis.
20. Stevoghinus, Dr. Martinus ; med. fac. decanus : Tractatus ad inaugur. dissertationem Godofredi Samuelis Nitschii : de tumoribus tunicatis, cui prolusio de monordia praemittitur.

1719.

21. Struve, Friedrich Gullic : Programme de cathedra  
doctorali, quo ad disputationes publicas jurisprudentiales  
Struonianae . . . commutationes invitatur.
22. Waldius, Sr. Georgius : De praemiis veterum septuaginta  
salarum, rhetorum atque oratorum.
23. Wedelius, Georgius Wolffgangus, Fac. med. Decanus :  
Propempticon inaug. : De vita artista. II (disputationis  
inaug. Caroli Gullicii Heermannii praemissum)
24. Wedelius, Ioannes Josephus, Fac. med. Decanus :  
Propempticon inaug. : De fornicatione emendatione III  
(disputationis inaug. Iohannis Erhardi Vonaueri  
praemissum).
25. Wilhelmsgelius, Christianus : De sententia conditionali
26. Wilhelmsgelius, Christianus, Publ. iur. Decanus : De responsione  
sine interrogazione . . . Programma inaug. (lectionis tria  
iurati Nicolai Gerichte praemissum).



1719.

37. Wildvogelius, Christianus: De revocatione feudi illo-  
rum, qui in ejus alienationem valde consenserunt.

38. Wildvogelius, Christianus, Collegii juridici decanus:  
De scripturis territoribus ad l. 1484 C. de judic.  
Programmum inaug. (lectioni inaug. Caroli Marici Hey-  
denreich praemissum)

39. Wildvogelius, Christianus: De praecipuis impedimen-  
tis vel obstaculis justitiae.







*In Bot. De lepenon officinale.*





1719, 1 a  
~~180~~ 1

Q. D. B. F.  
DISSERTATIO ACADEMICA  
DE  
**LEGE**  
**NON OBLIGANTE**

QUAM  
RECTORE ACADEMIAE IENENSIS MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
**DOMINO**  
**WILHELMO HENRICO**  
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM  
ANGARIAE WESTPHALIAEQVE  
ET RELIQA  
PRAESIDE  
**CASPARE ACHATIO BECKIO D.**  
IVRIVM PROFESSORE PVBLICO EXTRAORDINARIO  
ET IN CVRIA PROVINCIALI SAXONICA ADVOCATO ORD.  
PATRONO AC PRAECEPTORE SVO  
AD CINERES VENERANDO

DIE SEPTEMBR. ANNI MDCCXIX.

L. H. Q. C.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI DECENTER  
SVBMITTIT

RESPONDENS AVCTOR  
**ERNESTVS FRIDERICVS BOCH**  
DVRLACO-MARCHICVS

---

IENAE LITERIS FICKELSCHERRIANIS

In Both. De Legem obligante.



ANNO  
DISSERTATIO ACADEMICA

NON OBLIGANTE  
F. E. G. E.

RECTORE ACADEMIAE HENRICO MAGNIFICENTISSIMO

DOMINO

WILHELMO HENRICO

DUCE SAXONIAE ET MAGI CIVIS MONTIVM  
ANGARIE WESTPHALICAE

ET RELIGI

PRAESEDE

CASPARE ACHATIO BECKIO D.

IVRIVM PROFESSORIS ET REGIO ET AORDINARIO  
ET IN CURIA PROVINCIALI SAXONICA ADVOCATO ORD.

PATRONO AC PRAELECTORIS SED  
AD CIVITATEM PATERANDO

PUBLICO ERUDITORVM EXAMINI DECENSTER

SYMMITIS


RESPONDENS AUCTOR

FRANSTVS FRIDERICVS BOCH

DALENDI-M. RICHOR

IN AERIE LITERIS HONORIFICER





I. N. D. N. I. C. A.

DISSERTATIONIS  
DE  
LEGE NON OBLIGANTE.

CAPVT I.

§. I.



Antiquissimorum Sententia Philosophorum comprobatum nouimus, verba non solum commune quoddam humanae societatis vinculum, verum etiam certissima cogitationum rerumque signa esse, proptereaque penitorem in vnaquaque disciplina mereri contemplationem: compara clarissimum Eccardum, in *Historia studii etymologici linguae Germanicae, cap. I.* & iunge huic litteratissimum Hispanorum, Franc. Sanctium, in sua, quam vocauit, *Minerua, lib. 1. cap. 1. & passim locorum.*

§. II.

Intellexerunt hoc, si qui alias, optime primi Romani  
A 2 Iuris



iuris conditores: eamque ob causam vt Stoicos in aliis quam plurimis, ita in vocum cum maxime indagazione, studiosissime sunt æmulati. Sane enim Vlpianus (qui aliquibus venator nominum audit) *libro 1. Institutionum suarum*, ex quibus *lex 1. D. de Iust. & Iure* desumpta est, positurus vniuersi iuris fundamenta, sic exorsus est, *Iuri operam daturum prius nosse oportet, unde nomen iuris descendat*. Illud durius, quod subiungit, *ius esse a iustitia appellatum: caussatus, ius esse artem boni & aequi*. Nam ad praecepta Grammatices respicientibus, iustitia a iure, & ius a iubendo dicitur; sed nolim tamen id circo reprehendi Vlpianum, Philosophorum potius, vt apparet, quam Grammaticorum etymologiam hac parte sequutum; illi namque sectantur origines rerum, hi verborum. Igitur sicut Grammatici iustitiam a iure, iusque a iubendo deriuant, sic Vlpianus, Philosophos imitatus, ius a iustitia appellatum esse existimat, hac adiecta ratione, quod iustitia ars sit boni & aequi. Interim ex his perspicuum est, sine vocis notatione nunquam plane intelligi, quid ius sit, ac nisi prius intelligatur, quid sit illa, a qua ortum & substantiam capit, iustitia, siue aequum & bonum, quod pro iustitia promiscue vsurpatur *in dicta lege 1. Consule* inclutum Iuris ciuilibus Doctorem, Wilhelmum Maranum, *in, de Æquitate siue Iustitia, Commentario primo*, eidemque haud secundum nostrae aetatis nomen, Gerhardum Noodt, *in Commentario ad Digesta, Lib. 1. Tit. 1.*

### §. III.

Ceterum constat, non vnius solummodo Vlpiani fuisse, quod diximus, institutum. Namque L. Aelius Gallus IC. multos conscripsit libros de verborum, quae  
ad



ad ius pertinent, significatione. Gaius quoque IC. plures exaravit libros de origine vocabulorum, ut liquet ex Gellio, *Noct. Attic. lib. 11. cap. 17.* qui septimum illorum laudat: neque enim dubitandum videtur, quin Gellius sit accipiendus de Gaio IC. cum ille fuerit Philologus atque Grammaticis valde familiaris, ut praecipue colligitur ex Servio, interprete Maronis. Praeterea Paullus quoque in libro, quem inscripsit, *de variis Lectionibus*, accurate vocum notationes explicavit, ut indicant fragmenta, quae inde supersunt, *in lege 18. D. de Institor. act. L. 1. D. de Oper. libert. § L. 22. D. de Exception.* Ad haec de Q. Antistio Labeone pertriturum est Gellianum illud, *Noct. Attic. Lib. 13. c. 10.* *Latinarum quoque vocum origines rationesque percalluerat, eaque praecipue scientia ad enodandos plerosque iuris laqueos utebatur.* Additque Gellius, Labeonem explanationem verborum fuisse profecutum tribus potissimum libris *Posteriorum*; quorum etiam mentio fit in *lege 9. §. 2. D. ad L. Iul. pecul.* Adeat, qui volet, M. Aurel. Galuanum, *de Usufructu cap. 1.* ubi ex Quintiliano etiam probat summum fuisse Iurisconsultorum circa verborum proprietatem studium, *quoniam quaestio, hoc est, interpretatio iuris omnis, aut verborum proprietate, aut aequi disputatione, aut voluntatis coniectura continetur.*

## §. IV.

Quae cum ita sint facile apparet, studium illud verborum maximi esse momenti ad sapientiam iuris comparandam. Qui enim poterit aliquis artem intelligere, cuius ignorat linguam? quid in re obscura ratiocinabitur, cui vix sensus communis est integer? sane non alia causa est, ob quam Corpus Iuris Romani non ab omnibus illico



cum legitur, intelligitur, quam quia plerique affueti sunt ad vulgarem illam & quotidie currentem Latinitatem, proprietates linguae Latinae, phrasae & idiotismos, non percipiunt, doctrinaeque de verborum iuridicorum significatione non satis gnari sunt. confer Rebhan. in *Dedicat. Hodoget. Iur.* Et hoc quidem non modo civilis Romanorum iuris intuitu verum est, in quo sinistra rariorum phrasium interpretatio saepe etiam magnorum virorum existimationi nocuit; sed & cum reliquis iurisprudentiae partibus haud secus comparatum nouimus, vt scilicet singulae quasi proprias sibi velint, quas vocant, Grammaticas. In primis autem in feudalis & publici iuris studio frequenter euenit, vt rerum quae amissae ac tempore penitus mutatae sunt, primaeva indoles ac velut memoria, vnice conferretur in prisco nomine. Sed haec in praesenti pluribus persequi nihil attinet. Conferri meretur D. Praesidis *Tract. de Paribus Reipubl. Ministri & Vasalli Iuribus, cap. 1.*

## §. V.

Ceterum neque contrarium his, quae diximus, sentit Celsus IC. in lege 17. *D. de LL.* cum ita scribit: *Scire leges, non hoc est, verba earum tenere, sed vim ac potestatem.* Quamuis enim innuere videatur, neglectis verbis solam legis sententiam esse perquirendam; maxime quod non magis permittendum sit, vt in fraudem legis quid fiat, quam vt contra legem: fraus vero hic legibus fieri dicitur, cum saluis earum verbis mentem & sententiam legislatoris quis circumuenit, lege 29. & 30. *D. de LL.* dignosci autem non possit, an in fraudem legis quid factum esset, si legis verba teneremus, non etiam earum vim &



& potestatem: tamen re vera Celsi intentio haec fuit, quod scientia iuris ac legum non modo a grammatica verborum cognitione; sed etiam a legalis scientiae intelligentia dependeat. Latet enim in citatis Icti verbis Graecismus, per quem voces istae subaudiuntur, *non solum, sed etiam*; in quarum vicem Celsus adhibuit illas *non, sed*, adeoque sententia eius est: *Scire leges, non hoc solum esse, verba earum tenere, sed etiam* civiliter illas intelligere, hoc est, secundum secretiorem Legislatoris sensum, quem ille *vim ac potestatem* appellat. Quo ipso tamen studium proprietatis verborum adeo non excluditur, ut potius omnino praesupponatur, quippe quod verba maxime probabile sint signum de voluntate Legislatoris. Quam ob rem in omni interpretatione, legum, testamentorum, & conventionum, verborum quidem prior, rerum vero posterior habenda est ratio. Confer Anton. Fabrum in *Rationalib. ad dict. leg. 17. D. de LL. Galuanum de Vsufr. cit. loc.*

#### §. VI.

Atque haec veluti prolusio me sensim ad rem meam manuduxit, atque ad observationem moris illius, qui a prisca *Nominalium*, quos vocabant, secta, reliquus est in Academiis, eruditisque sollempnis, nimirum ut de re quapiam commentaturi ab etymologia verborumque significatione tractationem suam exordiantur. Verum hic mihi met ipsi contrarius esse videor. De lege enim non obligante disputaturus sum. Atqui superioribus exemplis & rationibus inductus in etymologiam legis & obligationis inquirens, hanc tractationi meae prorsus adversam esse cerno. Sane enim in ipso legis vocabulo aliquid inesse videtur, quod obligationem inducat, indicetque. Ita ut quan-



quanquam civis etiam privatus alterum per conventionem valide obstringere possit, tamen huius quoque obligationis vis ac potestas ultimato a lege illa, quae pactis & promissis stare, fidemque datam religiose servare praecipit, vnicè dependeat. Deinde quocunque etiam significatu legis vocabulum accipias, prout sane multis modis hoc usurpatur, extra tamen controuersiam habendum est, a *ligando*, hoc est, *obligando* (*von verpflichten*) legem denominatam esse: conf. Ciceronem *Lib. I. de LL.* Quid, quod veteribus pro ipsa obligatione lex persaepe sumatur: quo sensu Propertius *Lib. IV. Eleg. 9. v. 54.* canere videtur

*admissae si vis me ignoscere culpae,  
accipe quae nostrae formula legis erit, &c.  
Indixit leges: respondi, ego legibus utar.*

§. VII.

Manifestior euadet proposita dubitandi ratio, si ipsam legis definitionem, prout quidem ea communiter accipitur, consideremus. Hanc Grotius ita tradit, *quod lex sit regula actionum moralium, obligans ad id, quod rectum est.* Vbi quidem figurata est *regulae* vox, sed propterea tamen minus respuenda, quod causam obscuritatis, quae alias prohibet, figuratis in definitione locutionibus vti, nullam praebet. Regula enim siue norma quid sit, cuius facile constat: perspicuum vero quoque est, eadem prorsus ratione actiones humanas ad praescriptum legis attemperandas aestimandasque esse, qua lineae alicuius mensura secundum regulam expenditur. *Morales* autem *actiones* sunt actiones hominis voluntariae, cum imputatione suorum effectuum in vita communi spectatae. Pufend. *de Iure Nat. & Gent. Lib. I. C. V. §. 1.* Vbi etiam rationem nominis



nominis reddit, videlicet, quod ab istis actionibus, prout bene aut male ab aliquo obeuntur, seu prout ad legem, tanquam normam suam congruunt, vel non congruunt, ita moratus aliquis denominatur, ipsaeque animorum inclinationes, ex frequentibus resultantibus actionibus, mores appellantur; inde factum, ut ipsae actiones humanae moralium vocabulo designentur: vtut de cetero actiones hominis seu naturales, ab humanis seu naturalibus, atque hae rursus a moralibus seu legalibus, magnopere discriminentur. *Rectum* vero in Grotiana definitione est, quod vel naturae, vel legislatoris placito consentaneum, prout scilicet ius generatim aliud naturale est, aliud voluntarium. Pufendorffius, *Lib. I. cap. VI. §. 4.* paullo aliter describit legem, nimirum, *quod sit decretum, quo superior sibi subiectum obligat, vt ad istius praescriptum actiones suas componat.* Rursus alii eum, quem de lege habent conceptum, alia ratione exponunt: prout suum cuique semper videtur esse pulcherrimum.

§. VIII.

Mea haec nihil interest: sufficit enim, omnes tam veteres quam recentiores Doctores in eo convenire, quod necessaria velut atque essentialis legis affectio sit, vt obliget. Obligationem vero quidam definiunt, per qualitatem moralem operatiuam, qua quis praestare aut pati aliquid tenetur. Rectius vero & magis perspicue Romani iuris auctores obligationem vocant, vinculum iuris, quo necessitate adstringimur alicuius rei praestandae, vid. *prin. Inst. de obligation.*

B

§. IX. *Vine*



## §. IX.

*Vinculum iuris*, metaphorica & a vinculis corporis desumpta locutione, obligatio dicitur, quoniam per eam fraenum quasi morale iniicitur nostrae agendi libertati, ut in diuersam, quam quo illa ducit, partem tendere recte non possimus. Ac licet multa alia voluntati, ut in alterutram partem vergat, momentum adferant; hoc tamen obligatio prae istis habet peculiare, quod illa velut naturali aliquo pondere voluntatem premant, quo remoto haec ad indifferentiam vitro redeat: obligatio vero moraliter voluntatem afficiat, & peculiari quasi sensu eandem intrinsece imbuat, ut in suas actiones homo ipse censuram exercere cogatur, ac malo se ipsum dignum iudicare, nisi praescriptae legis normae conformis sit actio edita. Quo ipso etiam sufficiens momentum obligationi inesse intelligitur ad sectendam voluntatem; quippe cum nihil sit, quod necessitatem, quidquam agendi aut omittendi, menti humanae, de futuro deliberanti, asferre queat, praeter cogitationes boni & mali, aliis aut nobis ex iis quae facimus prouenturi; siquidem sua voluntari libertas constare debet, ac tales edendae sunt actiones, quae agenti recte imputari possunt. Pufendorff. *de Iure Nat. & Gent.* Libr. I. cap. VI. §. 5.

## §. X.

Ex dictis itaque constat, omnem obligationem in se habere moralem quandam necessitatem, qua quis ad standum aliquid, vel faciendum, vel ad patiendum etiam obstringitur: in vnaquaque autem lege iuris illud vinculum inesse, vel ex ipsa perspicuum est legis definitione.  
Quam



Quam ob rem frustranea, vt apparet, est de lege non obligante disputatio, & vel ea ex re in cassum suscepta, quod argumentum hoc contradictionem in adiecto manifestissimam inuoluere, ac si non plane Σιδηρόζυλον, saltem Ἐξάδοξον esse videatur.

§. XI.

Aduersari etiam instituto meo grauius cense-ri potest Modestinus IC. in lege 7. D. de LL. Legis, inquit, virtus est imperare, vetare, permittere, punire. Omnes enim leges imperatiuis verbis sunt conceptae: hinc est, quod verba imperatiua dicuntur legitima: & legatum definitur in Corpore Vlpiani Tit. XXIV. de Legat. quod legis modo, id est, imperatiue relinquitur. Neque Lex XII. Tabb. permittit ciuibus Romanis testari, nisi legassint, hoc est, legem fecerint imperando. conf. legem 120. de Verb. signific. ibique Ioann. Goeddeum in Commentario doctissimo. Et ob id dicitur, fideicommissa esse legibus incognita, nec vllum iuris vinculum habere, quia sunt precatiuis verbis, & quibus vti eum qui legem faciat, aut facere possit, indignum est, & a legis virtute alienum. add. Dn. Schultingius, in Iurisprudencia vetere ante-Iustiniana, ad cit. Vlp. locum.

§. XII.

Vetare autem proprium est earum legum, quae speciatim prohibitoriae dicuntur: quarum vsus est circa eas res, quae iure communi permissae sunt, si non prohibeantur: cuius generis ad leges spectat regula in lege 41. §. D. de Procurat. fundata; quidquid prohibitum non est censetur permissum: seu, licet, quod non est vetitum:



nisi scilicet tale sit, quod a legislatore inconsulto potius omissum, quam permissum, videatur. Hoc enim casu merito obtinet vulgatum illud: *quod legibus omissum est, non debet omitti religione magistratus?* Non enim possunt omnes casus, qui quandoque inciderint, legibus aut senatusconsultis comprehendi: sed cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is, qui iurisdictioni praest, ad familia procedere, atque ita ius dicere debet, *Lege 10. & 12. D. de LL.* Hinc licet infames non expresse prohibeantur officio assessoris fungi, tamen ad hoc admittendi non sunt, *L. 2. D. de offic. Assessor.*

### §. XIII.

Ceterum *permittere*, de quo etiam Modestinus *cit. loc.* proprium est earum legum, quae permissivae appellantur, quarum usus est circa eas res, quae alioquin fieri non possent, nisi permetterentur: cuiusmodi sunt leges de hereditatibus siue testamentariis, siue legitimis. *conf. Tit. Instit. quibus non est permissum facere testamenta.* Istitis legibus haec regula convenit: *quidquid speciatim permissum non est, perinde censetur illicitum, ac si foret prohibitum.* Nulla etenim prohibitione opus est, ubi sufficit *non permissio.* Itaque si quis quaerat, cur naturales non possint testamento heredes institui, extra casum legis ultimae *Cod. de Natur. lib.* nec succedere ab intestato, extra casum *Authenticae*, Licet, *Cod. eod.* neque rursus peregrini, deportati, & similes: ratio reddenda erit, non quia sunt prohibiti, sed quia non sunt permissi. *Conf. Anton. Faber in Rationalib. ad cit. L. 7. Dig. de Legib.* Porro etiam cum lex aliquid permittit, imperat: permittit enim imperando, id est, eam permissionem dando  
ver-



verbis imperatiuis *Leg. 1. ad Legem Falcid.* Et quamquam potest aliquid esse, quod lex ciuilis neque vetet, neque permittat, compara *legem 28. §. 2. D. ex quibus caussis maior. XXV. annis in integr. rest.* tamen nulla in eo legis virtus consistit.

§. XIV.

Denique sicut cuiuslibet legis perfectae duae sunt partes, vna per quam definitur, quid sit faciendum, quidve omittendum; altera per quam indicatur, quoniam malum sit propositum ei, qui praeceptum intermittit, & interdictum facit; quarum illa pars definitiua, haec vindicatiua, seu sanctio, & ab hac lex *sancta* appellari solet: *lege 41. D. de Poen. §. 10. Inst. & L. 9. §. 3. D. de Rerum diuis.* vid. Pufendorff. *de Offic. hom. & Ciu. L. I. cap. II. §. VII:* ita *punire* quoque ad legis virtutem pertinere, recto iudicio in loco proposito declarat Modestinus. Imperfecta enim lex est, si quid fieri prohibeat, nec tamen puniat, quod secus patratum erit, siue pro nullo declarando, vel saltem rescindendo quod contra factum, siue aliqua poena in contra facientem constituta. Cuius rei exemplum adfert Vlpianus statim in principio sui Corporis, cum ait: *Imperfecta lex est, veluti Cincia, quae supra certum modum donari prohibet, exceptis quibusdam cognatis, & si plus donatum, sit non rescindit:* adde iterum Schulting. *I. c. & Frid. Brummerum in Comment. ad Legem Cinciam, cap. III. n. 5. & seqq.* Anton. Fabrum *in Rational. cit. loc.* atque obserua, ad exemplum illarum legum, quae *§. finali Instit. de his qui sui vel alieni iuris sunt*, itemque *§. 1. Inst. de vi bonor. rap.* alibique passim habenter, regulariter



lariter omnes debere compositas, adeoque ad poenam quoque esse obligatorias.

§. XV.

Ad extremum superioribus addi posset, quod prudentissimus Oratorum, *Libro III. de Legibus*, ait: *Magistratum esse legem loquentem, legem autem mutum magistratum.* Quae sane praeclara est legum & magistratuum confusio, atque felicissima boni ordinis auspicia, & fundamenta optima reipublicae non potest non inferre. Procul enim dubio alia omnia offendas potius, sicubi nulla eiusmodi confusio rempublicam temperat continetque. Vid. Hulderic. ab Eyben, *in Dissert. de Missione in Possess. cap. I.* Sed mittam nunc ista, & cum legem *mutum magistratum* appellet Tullius, hoc saltem volo, annon vel ex eo colligi possit fundamento, tantum abesse ut lex sine obligatione detur, quantum absit, ut magistratus sine iurisdictione ac sine legitima sententiae executione consistere queat? Verum enim vero, his omnibus necquidquam obstantibus, ad ipsam, *de Lege non obligante*, tractationem, alacri studio nunc sum accessurus.

CAPVT II.

§. I.

**N**on potest rotunda definitione comprehendi, quaenam ex omni parte requirantur ad hoc, ut lex in animis civium vim & potestatem suam exerat. Neque vero etiam certae cancellis regulae includere licet, quibus ex causis eueniat, ut maiorem melioremque sui partem illa hu-



humanarum actionum norma haud raro perdat. Fas itaque fuerit, quod hac via non procedit, alia exordiri ratione. Inductiua videlicet vtar methodo; quae & ad demonstrandum est facillima, & ad rerum veritates intelligendas pronissima: adeoque variis exemplis seu casibus in medium prolatis instituti mei fundamentum incretulo.

§. II.

*Prima* itaque legis non obligantis species est, quae iuri diuino, eique vel naturali, vel in scripturis sacris reuelato, contraria esse deprehenditur: vtpote praecipiendo quod a summo Legislatore est prohibitum, vel prohibendo quod ab illo praeceptum esse intelligitur. Debent namque omnes leges humanae subordinatae esse legibus diuinis; illarumque redolere indolem & analogiam: & haec deum respublica bene ordinata dici meretur, quae constitutionibus lege diuina vallatis gubernatur. Leges siquidem humanae, origine pariter atque auctoritate tales, aliquando mendacia pro veritate, iniustitiam pro iustitia habent: Deus autem solus vndique verax & iustus in suo iure permanet. Contra hoc ergo siquid iniungatur, pro impossibili habendum est, argumento aureae illius sanctionis, quae proposita *in lege is. de Condit. Instit.* Impossibile autem legum nullam esse obligationem, extra omnem positum est controuersiam. Constat vero non solum de lege scripta, hoc est, expressa summae in re publica potestatis voluntate praescripta, sed de consuetudine quoque, quam communiter legem non scriptam appellant, quod diximus, accipiendum esse. Quam ob causam etiam in omni consuetudine, vt rectae rationi sit

cen-



consentanea, maxime requiritur: quod adeo verum est, ut consuetudinem recta ratione destitutam, nulla cuiusque temporis firmet praescriptio, nullaque prorsus in ea in sit obligatio, secundum vulgatum illud prouerbum: *Hundert Jahr unrecht, ist nicht eine Stunde recht.* Laudandus hinc maximopere nobis est, Carolus V. Imperator, Germaniae, qua iuris criminalis sanctionem, Iustinianus, quod *artic. CCXVIII. Constitutionis suae*, absurdas eiusmodi & iniquas consuetudines prorsus sustulit, v. g. illam qua fiscus, accusatione contra firem instituta, res furtiuas sibi vindicabat; item istam, qua fiscus sibi vindicabat curram cum equis & mercibus, si forte subuersus hominem oppresserit; nec non hanc, qua fiscus sibi vindicabat miserandas naufragorum reliquias; quod vltimum suo etiam tempore iam prohibuit Fridericus Imp. *in Auth. Nauigia, Cod. de Furtis.* Sed exemplorum prolixa commemoratione in re per se satis clara minime opus est.

### §. III.

Ceterum uti duplex illa famosiorque iuris acceptio, qua vel *pro lege* sumitur, aut, si mauiis, pro complexu legum, vel *pro facultate morali*, seu pro attributo personae, ad ius etiam diuinum, referenda est: ita facile patet, solummodo de iure diuino praeceptiuo, eoque vel affirmatiuo vel negatiuo, intelligendum esse, quod supra proposui. Quocirca illud tamen pro certo habendum, fas & integrum esse supremis in ciuitate imperantibus *prohibere facta, legibus diuinis permessa.* Ita, verbi gratia, maximam mihi dat ius naturae libertatem in contrahendis nuptiis; lex vero ciuiliis & humana ecclesiastica variis eam  
modis



modis restringit: similiter feras, pisces, aues capere, & capiendo acquirere, naturaliter cuique licet; verum ob vtilitatis publicae rationem ciuili lege hoc interdictum nouimus. add. Tabor. in *Collat. Iur. Rom. & Hungar. P. 2. Sect. 1. §. 13.* Praeclare in hanc rem Grotius, in immortalis operis, *L. 2. cap. 2. §. 5.* scribit: *Lex ciuilis quamquam nihil potest praecipere, quod ius naturae prohibet, aut prohibere, quod praecipit, potest tamen libertatem naturalem circumscribere, & vetare, quod naturaliter licebat, atque etiam ipsum dominium naturaliter acquirendum vi sua anteuertere.* Atque hinc multum interest, vt in illis, quae iuris naturalis aut gentium esse dicuntur, probe dispiciamus, vtrum sint ex iure praeceptiuo, an permissiuo. Permissiuum enim pro eorum, qui rebus publicis praesunt, arbitrio, ex sua natura varium est, & mutabile, ideoque abrogationes, temperamenta & mutationes in dies recipit, quales tamen ius praeceptiuum nullatenus admittit. vid. Seldenus, *de Mari claus. lib. 1. c. 3.* Et hoc est quod dicit Cuiacius, *Lib. 4. obs. 2.* mores vbique passim ius gentium circa venandi potestatem subegisse. Consule pluribus Casparem Zieglerum in, *de Iuribus maiest. Lib. 2. cap. 14. §. 21.* nec non in praefatione Commentationis de *SCTO Macedon.* eidemque omnino iunge Maenium, in *Prodromo*, seu, vt nunc audit, *Nucleo Iuris Nat. & Gent. Inspect. 6.* vbi, de potestate ciuitatum & imperantium circa ius naturae, egregie disputat.

§. IV.

*Alicrum legis non obligantis exemplum est, si Princeps falsa circa religionem diuinitus reuelatam dogmata proponeret, nouasque credendi formulas ciuibus praescri-*

C

scri-



scriberet. Quantumvis enim maiestatis civilis est, curare, ut vera religio in animis subiectorum obtineat, & ne quis impune quidquam aduersus eam committere possit, quippe quod illa firmissimum quoque est societatis politicae vinculum; tamen quatenus ciues profitentur diuinitus patefactam salutis ac religionis formulam, hoc est, quatenus membra sunt ecclesiae inuisibilis, eatenus non dependent ab humana potestate, sed a solo ecclesiae auctore & capite CHRISTO, & ab ipso reuelato euangelio, vnica salutis regula, in quam nullum ius vlli creaturae, ne quidem coelesti, sub anathematis poena, competit, teste S. Paulo Apostolo, *ad Galat. 1. v. 8.* adde Zieglerum, *de Iur. Maiest. Lib. 1. cap. 14. §. 11. & cap. 16. §. 2.* Schilterum, *in Instit. Iur. Can. Lib. 1. Tit. 1. §. 6.* Neque etiam ratio huius assertionis in obscuro est: habet enim quidem Princeps, cui summa reipublicae salutis cura commissa est, ea omnia, quae ad istum scopum obtinendum sunt necessaria; proptereaque etiam ista religionis pars, quae ad ciuilem tranquillitatem refertur, & circa externam publicamque sacrorum ordinationem maxime occupatur, ipsius imperio subiecta est. Verum uti aeternae beatitudinis consequendae causa non sunt extructae ciuitates, neque etiam vel Deus maiestati ciuili eam concessit potestatem, ut in credendis quidquam posset disponere, vel subditi intellectum & conscientias suas eodem modo, quo voluntatem, arbitrio summi imperantis civilis submiserunt; denique non intellectui, sed voluntati saltem praescribi possunt leges, & ipsa religio seu fides delicatissima res est, quae argumentis & rationibus quidem persuaderi, legibus autem externis, poenalibusque sanctionibus imperari non potest: Ita sine magna difficultate colligitur,

ad



ad interna sacrorum, quae vocantur, hoc est, ad spiritua-  
lia ecclesiae inuisibilis iura, civilem legislationem non  
pertinere. vid. pluribus Herm. Conring. *de Maieſtatis*  
*civil. auctor. circa sacra.*

§. V.

*Tertia* legis non obligantis species est, si illa contra  
honestatis publicae rationem proposita, aut ad eviden-  
ter stulta & absurda referatur. Quamquam enim haec  
non est subditorum licentia, ut in rationes legum inqui-  
rere possint; multo minus ferendum, ut legislatorem  
stultitiae damnent; praeterea quoque leges errore licet indu-  
ctae obligandi potestatem habeant, *lege 39. D. de Legibus*,  
denique stultae & absurdae leges sine laesione conscien-  
tiae seruari possint, immo, ut apparet, seruari etiam de-  
beant, quoniam dominis obtemperandum est non solum  
bonis & aequis, sed etiam pravis ac mirabilibus, *1. Petr. 2.*  
*v. 18.* tamen in legibus euidenter stultis atque absurdis,  
ut & publicae honestatis rationi manifestissime repugnan-  
tibus, veram obligationem inesse, recte mihi negare vi-  
detur Grotius, *de Iure belli & pacis L. 2. Cap. 14. §. 12.*  
*n. 2.* dummodo illa legum stultitia & absurditas ita sit ma-  
nifesta ac euidentis, ut non latae credi possint a rege vel  
principe sanae mentis, sed ab homine demente ac velut  
delirante: vide interpretes ad citatum Grotii locum, &  
in his praecipue Ioannem Tesmarum, qui monet, impias  
leges non obligare, etiam tali casu existimandum esse; quia  
Deo magis obediendum sit quam hominibus.

§. VI.

*Quartum* exemplum legis, vera obligandi virtute

C 2

desti-



destitutae est, si haec apertissime in fraudem rei atque utilitatis publicae vergat. Sane enim salus publica suprema lex esto; huiusque vel obtinendae vel promouendae causa, tum alia omnia ciuitatis iura, tum maxime potestatem nomotheticam princeps exercet. Hinc etiam omnis lex ex usu reipublicae est intelligenda, cui si nocet, lex non est. Neque enim quod in fauorem publicae salutis introductum, in illius odium detorqueri debet. Intellego autem hoc loco non solum eius generis leges, quae directo & principaliter ad interitum ciuitatis comparatae sunt, v. g. quod cuius conciuus omnis generis iniurias impune inferre possit; item, quod propter minutissimos lapsus ac errores cuncti ad extrema supplicia rapiendi sint, &c. sed etiam illas huc refero leges, quae ab initio ita fuerunt sancitae, vt commodum publicum omnino ob oculos habuerit earum conditor, postea vero temporis accidit, vt illae mutatis ciuium moribus ac institutis, reformatoque reipublicae statu, vim & salubritatem suam exerere amplius nequiverint, sed ex utilibus redditae sint noxiae. Adde Gellium, *Noct. Attic. Lib. 20. cap. 1.* Liu. *Hist. Lib. 34. c. 2.* Cicer. *1. Rhetor. 38.*

#### §. VII.

*Quintum* tractationis meae argumentum est, si in causa legis efficiente quidquam deprehendatur, quod obligandi potestatem impediatur. Praescribitur scilicet omnis lex a superiore, id est, tali, cui non solum iustae vires sint, malum aliquod repraesentandi contranitentibus, sed & cui iustae causae sint, quare postulare queat, ex suo arbitrio voluntatis nostrae libertatem circumscribi. Non itaque a sola potentia irresistibili, merisque cogendi viri-



viribus imperium, & quae ab hoc dependet, legislatoria potestas, aeduci recte potest; prout quidem in libro *de Cive cap. 15. §. 5.* mendose contendit Hobbesius, cui *ius & vis* vix litterarum transpositione differunt, quemque proinde ex merito refutavit Pufendorffius, ille optimus Grotii interpres, & felicissimus Hobbesii censor, in *de Iure Nat. & Gent. Lib. 1. c. 6. §. 9.* Iustis itaque cuiquam leges praescribendi caussis omnino opus est; siquidem qui nullam rationem allegare novit, quare mihi invito obligationem velit impingere, praeter solas vires, is terrere quidem me potest, vt effugiendo maiori malo ipsi tantisper parere satius ducam; sed eo metu remoto nihil amplius obstat, quo minus meo potius quam illius arbitrio agam: quae sunt verba laudati Pufendorffii, in plenissimo rectorum doctrinarum libello, *de Off. hom. & civ. lib. 1. cap. 2. §. 5.* Hinc vero facile adparet, cuiusvis potius alterius rei, quam legis vere obligantis indolem habere, quod ab illo sancitum est, qui iure ac nomine superioris censei proprie haud potest, vtut de cetero non contemnenda sit illius auctoritas. Nisi tamen hic iussu ac mandato Principis quidquam nobis iniungat, eundemque ad huius generis ministerium exercendum legitime constitutum esse, in commune constet.

§. VIII.

Ex dictis vero hoc etiam colligitur, quod neque decreta eorum, qui superioritate quidem, vt ita loquar, praefulgent, legislationis autem potestatem soli non exercent, sed concurrentiam aliorum hac parte admittere tenentur, pro legibus vere obligantibus haberi possint.

C 3

Quam



Quam ob rem licet Imperium Romano-Germanicum verae repraesentet *formam* monarchiae, omniaque maiestatis iura in territorio Romano-Germanico haerentia proprie ad Caput Augustissimum spectent; quia tamen *modus administrandi* rempublicam, eiusdemque iura exercendi, fere ab omni tempore monarchico-aristocraticus, hoc est, ita comparatus fuit, ut *in exercitio* plerorumque omnium maiestatis iurium Sacri Romani Imperii Status atque Ordines concurrenti ius ac potestatem habuerint; propterea manifestum, atque publicis etiam tabulis comprobatum est, solam Maiestatem Caesaream, exclusis inuitisque Imperii Ordinibus, legem publicam, omnes ciues efficaciter obligaturam, condere non posse; sed ad valorem eiusmodi legis omnium aut certe plurimorum Procerum requiri consensum: conf. *Instrum. Pac. Westph. Osnabr. Art. VIII. §. gaudeant*, eiusque interpretationes. Interim tamen legum vniuersalium *promulgationem* solius Imperatoris nomine fieri certissimum est, atque res ipsa loquitur. vid. Limnaeum, *ad Prooem. Aur. Bull. Olf. 31.*

#### §. IX.

Praeterea hoc etiam ex superioribus apparet, minus recte se habere doctrinam eorum, qui ius aliquod gentium statuunt, gentes omnes per modum legis proprie sic dictae obligans, & a iure tamen diuino naturali aut reuelato prorsus discriminatum. Namque si gentes non habent superiorem praeter Deum, manifestissimum est, illas non obligari aliis, nisi legibus diuinis. Proinde etiam non possum aliud ius gentium admittere praeter ius naturale, applicatum scilicet ad integras gentes:  
hoc



hoc quidem modo, ut quemadmodum ius naturale, officia erga homines reliquos complexum, aliud est absolutum, aliud vero hypotheticum, hocve rursus vel ex hypothese certi status, vel certi instituti humani obligans; similiter cum iure gentium comparatum sit, nimirum ut vel absolute & promiscue quaslibet gentes erga quaslibet obstringat, quo loco habenda sunt praecepta, de non laedendo, de aequalitate naturali custodienda, de humanitatis officiis exhibendis, & de pactis seruandis; vel ut solummodo pro ratione certi status aut certi instituti inter gentes recepti obligationem producat. Quo etiam sensu ius gentium non male diuiditur in primaeum, & secundarium, quorum illud respondet iuri naturae absoluto, hoc hypothetico; illudque describit Iustinianus §. 1. *Inst. de Iure Nat. Gent. & Ciuil.* cum ait: *Quod vero naturalis ratio inter omnes gentes constituit, id apud omnes populos peraeque custoditur, vocaturque ius gentium, quasi quo iure omnes gentes utantur;* hoc vero idem §. 2. *cit. tit.* definit, *quod usu exigente, & humanis necessitatibus postulantis, gentes humanae sibi constituerunt.* Quibus verbis non hoc innuitur, quasi omnes gentes, veluti ciues in democratia aliqua, actu in vnum coetum conuenerint, & ius hoc ita constituerint; sed quod usu exigente & humanis necessitatibus postulantis, quaedam gentes certos status aduentitios, atque instituta certa excogitauerint; quae cum successiue aliis quoque gentibus placerent; & tranquillitatis ordinisque humani generis magnopere interesset, ut ab omnibus, aut saltem maioribus, semel recepta placita constanter seruarentur; superuenerunt illico quasi iura ad naturae humanae mortaliumque generis conseruationem a supremo Numine



mine per naturalis rationis dictamen praescripta, atque ex illa hypothesi ad custodiam & obseruationem illorum in commune salutarium institutorum genres obligarunt. Qua ratione factum, vt quod applaudente naturali iure successiue placere omnibus coepit, id totius quasi orbis omniumque gentium decretum fuisse, existimaretur. add. Alber. Gentil. *Lib. 1. de Iure Belli, cap. 1.* Franc. Connanns, *Comment. Iur. Civ. Lib. 1. cap. 6.* Georg. Franzk. in *Comment. ad Tit. Dig. de Iust. & Iur. n. 133.* Praecipue vero ad illustrationem huius rei facit acutissimus Vinnius, in *Comment. ad Instit. Tit. de Iur. Nat. Gent. & Civil. §. 1. ubi num. 4.* praeclare sic scribit: *Vt ratio vel simplex est & pura, quae sine discursu indicat, & Graecis ὄνομαστικὴ dicitur; vel composita & comparata, quae per discursum munus suum exequitur, ex collatione diuersarum rerum aliquid colligens, Graecis διανοια, & λογιστικὴ ita & duplex est ius gentium; vnum quod ex simplici illa ratione fluat, seu intellectu νόμοσ, cuius iuris sunt cultus Dei, reuerentia parentum, neminem laedere, suum cuique tribuere, ab alieno manus abstinere, aliaque eiuscemodi principia practica, quibus vltro sine argumentatione aut demonstratione assentimur, & iusta esse sine agitatione mentis intelligimus: alterum, quod a ratione composita, seu intellectu διανομιασ; quod discursum & ratiocinationem habet, atque ex causa demum aliqua, aut hypothesi & comparatione alterius rei iustum esse intelligitur: cuius generis sunt ea omnia, quae ad vitae communis commoda, coniungendasque inter se respublicas & gentes, a viris sapientibus excogitata, in usum omnium gentium, aut plerarumque peruenerunt; quam in rem elegans exemplum est in lege 1. D. de contrab. emt. Haec hactenus Arnoldus Vinnius. Quae cum ita sint, liquido apparet, omnem vim*



vim & auctoritatem iuris gentium, primaeni pariter seu absoluti, & secundarii seu hypothetici, ex dictamine naturalis rationis, simplicis vel compositae, aestimandam esse. Omne autem dictamen naturalis rationis humanae naturae felicitatem spectans, quum sit praecipuum iuris naturae, quoniam scilicet Deus per rectam rationem nihil dicitur frustra: consequitur inde, omne ius gentium vere ac proprie dictum ad ius naturae referendum, hoc est, diuini iuris partem esse, legemque quam, loquentes de hominum singulorum officio, naturalem dicimus, applicatam totis ciuitatibus, nationibus, seu gentibus, vocari *ius gentium*: de cetero autem ius gentium a iure diuino discriminatum, vel plane nullum dari, vel saltem per modum legis non esse obligatorium: quemadmodum etiam ius gentium hypotheticum, quod diximus, barbaras gentes eodem modo, quo moratiores, rationisque rectae ductum sequentes, non obligat. vid. Hobbes. *de Ciui.* Scharrok. *de Off. secundum Ius Nat. cap. 10.* Zentgraf, *de Obligat. Iur. Gent. art. 8. §. 2.*

## §. X.

*Sexto* loco obseruandum est, quod lex non sit obligatoria, nisi intuitu eorum, quibus data est. Itaque non dubitandum, quin fallantur Iudaeorum illi, qui existimant, etiam alienigenis, si salui esse vellent, subeundum fuisse legis Hebraicae iugum. Hinc etiam colligimus, nulla parte legis Hebraicae, qua proprie talis est, nos Christianos obligari; quia obligatio extra ius naturae venit ex voluntate legem ferentis. Deum autem voluisse, ut alii, quam Israeliticae, ista lege tenerentur, nullo indicio

non

D

potest



potest deprehendi. Non igitur, nos quod attinet, probanda est illius legis abrogatio; nam nec abrogari potuit eorum respectu, quos nunquam obstrinxit. Sed ab Israelitis ablata est obligatio, quoad ritualia quidem statim, postquam Euangelium coepit annunciari; quoad cetera vero, hoc est forensia, postquam populus iste, per excidium urbis, & desolationem praecisam, sine spe restitutionis, populus esse desit. vid. Grot. *de Iure B. & P. L. 1. c. 1. §. 16.* ibique Ziegler. *in Notis.* Ceterum quae diximus, de lege Hebraea proprie sic dicta sunt accipienda. Quam ob causam ea lex, quae sollemnior quidem ritu Israelitis promulgata, sed in nouo foedere repetita, atque ad usum ecclesiae Christianae a corruptionibus Iudaeorum fuit repurgata, sine controuersia moralis est, seu vniuersalis, hoc est, Christianos pariter atque Iudaeos obligans, in oppositione scilicet ad leges Hebraeorum particulares. Facit etiam ex iure Romano ad huius loci illustrationem *lex finalis D. de Iurisdic. ibi: Extra territorium ius descendi impune non paretur.*

## §. XI.

non *Septimo* vera obligandi virtute destituta censetur lex, vbi cessat vnica & adaequata illius ratio; secundum vulgatum illud: cessante ratione legis, cessat ipsa lex; seu, vt alii efferunt: causa finali adaequata omnino & in totum cessante, cessare ius. Est namque ratio legis (finalis scilicet, quae neque cum causa impellente, neque cum legis mente confundi debet) forma & quasi anima legis; hac ergo si destituatur, omnis protinus intercidit obligandi vis. Et quamquam, vt aliqui tradunt,

non



non de essentia, sed de bonitate tantum legis est, ut cum ratione sanciat; neque etiam necessum, ut de ratione ea omnibus subditis constet, cum iubere, tanquam diuinitus emissa vox, non disputare, lex debeat: tamen exinde saltem hoc sequitur, quod ligandi potestatem habeat lex, tamen sine certa vel expressa ratione, ex solo legislatoris arbitratu, sit proposita: quod autem non cesset obligatio legis, tamen de ratione pariter eius rationisque cessatione liquido constet, id quidem recto consecutionis filo ea ex re minime deducitur. Ceterum audiendum tamen hic videtur Sigism. Scaccia, in *Tract. de Commerc.* §. 1. q. 1. n. 511. & n. 521. sequentem in modum distinguens: Aut lex intendit remouere non solum actum seu effectum, sed etiam illud, per quod potest ad illum actum deueniri, & sic lex intentius agit; aut vero intendit solum disponere super actu. Priori casu non sufficit cessatio ipsius actus seu effectus, ut cesset lex, sed requiritur etiam cessatio illius, per quod deueniri potest ad illum actum; alias, si illud etiam non cesset, non cessat lex, & idcirco puniuntur alicubi deprehensi cum armis, etiam si armis illis neminem offenderint, nec constet, quod velent offendere, quia ex cessatione actus non cessat lex; cessaret autem lex, si cessaret ipsa potentia; & ideo si ferens arma esset infans, vel esset illorum armorum venditor, in quibus praesumeretur cessatio potentiae ad offendendum, cessaret lex ipsa. Posteriore casu sufficit cessatio actus, licet non cessauerit potentia; quo modo cessat lex, quae, ut emendetur frater, praecipit correctionem fraternam, si emendatio nulla speretur. Add. Ziegler. de *Iur. Maiest.* Lib. 1. c. 5. §. 95. Consulto vero locutus sum de ratione legis *unica & adaequata*; qua propter si,



vt per saepe accidit, plures legis fuerint rationes, non statim vna earum cessante, reliquae expirant, aut minus validae sunt, ad sustinendam legis efficaciam. Ita iuris feudalis rationi & analogiae magis consentaneum esse sustineo, foeminam in feudo franco non succedere, vtur hoc a seruitiorum praestatione immune sit. Sunt namque plures causae, quae regulariter facinas a feudis propriis repellunt.

## §. XII.

*Octava* legis non obligantis species esse mihi videtur, si ea per promulgationem in subiectorum notitiam non fuerit legitime deducta. Sane quidem etiam ante promulgationem vera existit lex; atque haec talem solummodo declarat. Verum obligationis tamen vim a publica legis propositione pendere, certissimae rationis est; quae ad id quod iuste ignoras, faciendum omittendumque te adstringi, absurdissimum simul & iniustissimum pronunciat. Obseruandum vero hic est, ne quidem continuo a promulgationis momento legem valide obligare. Quemadmodum enim olim apud Romanos tempore mediae, quam vocant, iurisprudentiae, lex ante rogari non poterat, quam trina promulgatione, tribus continuis nundinis, seu nouendinis, distincta, & ita XXVII. diebus facta, proposita palam & in publico esset: similiter Iustinianus, cum, lege regia lata, in principem omnia maiestatis iura translata, constitutionesque in vicem legum stricte sic dictarum surrogatae essent, ne inique lex nouiter lata, necdum in plenam omnium subditorum notitiam deducta, obligatione sua actus illorum obrueret, terminum obligatorum constitutionibus praefixit, vt nimirum



mirum a duobus demum post factam promulgationem mensibus, plenum robur viresque subditos obligandi habeant; nisi expresse aliud spatium comprehendatur, tunc enim specialis & singularis principis dispositio, vt alias communiter, derogat iuri generali. conf. *Nouell. 66. cap. 1. Nou. 58. princ.* add. *Christin. Vol. 2. Dec. 52. n. 5. Philippi, in Vsu pract. Inst. L. 1. Eclog. 11.* vbi, quod etiam in constitutionibus Saxonice terminus duorum mensium obseruetur.

### §. XIII.

Praeterea sicut non infima laus legum posita in eo, vt faciles sint & clarae, ita non errauerit meo iudicio, qui *nono* loco superioribus adiungit, quod non sit obligatoria sanctio, quae tam obscure est atque perplexe concepta, vt nec legi a ciuibus possit, nec intelligi, etiamsi de cetero promulgatio eius sollemniter facta, & tempus quoque transit, intra quod notitia legis istius peruenire ad illos potuit. Spectat huc elegans canon 2. Dist. IV. vbi Isidorus, *Erit, inquit, lex honesta, iusta, possibilis, secundum naturam, secundum patriae consuetudinem, loco temporisque conueniens, necessaria, vtilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captiorem contineat: nullo privato commodo, sed pro communi ciuium vtilitate conscripta.* Adde legem 11. §. 3. *D. de Instit. Act.* ibi: *proscribere palam sic accipimus, claris litteris, vnde de plano recto legi possit; ne quis causari possit ignorantiam.* Exemplum eius generis legis profert Suetonius in *Caligul. 41.* Ceterum sicut ignorantia legis inuitabilis seu inuincibilis tollit peccatum; ita etiam cum aliquali negligentia coniuncta delictum minuit. vid. *Grot. Lib. 2. c. 20. §. 43.*

D 3

§. XIV.



§. XIV. *Decimo* destituta obligandi virtute censetur lex, quae in obseruantiam nunquam eualuit. Propterea quidam Doctores, praeter sanctionem & promulgationem, ad essentiam legis tertium hoc requirunt, videlicet vt moribus vtentium adprobetur, adeoque qui legi inhaerere velit, receptionem eius probare teneatur. Citari etiam in hanc rem solet *lex 32. in princ. §. 1. de Legib.* ibi: *de quibus causis scriptis legibus non vtimur, &c.* itemque, *Nam ipsae leges nulla alia ex causa nos tenent, quam quod iudicio populi receptae sunt.* Similiter Gratianus, §. *Leges, Dist. IV.* *Leges, inquit, instituntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus vtentium approbantur: sicut enim moribus vtentium in contrarium nonnullae leges hodie abrogatae sunt; ita moribus vtentium ipsae leges confirmantur.* add. *Felin. in cap. treuga, num. 13. X. de Treug. §. Pac. Dom. Couarrui. Lib. 2. resol. 16. n. 6. Carpzou. P. II. Decis. 101. n. 3.* vbi de statutis tradit, ea ex communi interpretum voto non aliter obligare, quam si vsu ac obseruantia fuerint recepta & approbata: vsque adeo, vt statuta non obseruata nullas habeant vires, nec qui ea obseruare recusant, transgressores sint & dicantur. Verum haec cum prudentia & discretione sunt accipienda. Sane in republica monarchica talismodi populi acceptatio legis scriptae minime requiritur, sed a sola legislatoris potestate nomothetica, illa vim obligandi habet, adeoque etiam obseruari debet, cum haec sit intentio principis, vt obseruetur: neque in arbitrio priuatorum est, iussum superioris non obseruare; namque hoc ipso noua lex priori contraria statueretur, & sic in effectu legislationis potestas non penes



nes principem, sed apud populum esset. vid. Ziegler. *in Diss. de Ratihabit.* §. 28. *Et de Iur. Maiest. L. 1. cap. 5. §. 35.* illustr. Dn. Coccei. *in Iure controuerf. ad Tit. D. de LL. §. Sci. Q. 2.* Contra, vti etiam in monarchia & aristocratia consuetudinis quidem vis ex vsu & obseruantia maximam dependet partem: ita demum in democratia verum mihi esse videtur, quod citati contendunt auctores, nimirum necesse esse, vt obseruantia ac moribus ipsis lex adprobetur. Atque talem etiam reipublicae Romanae statum ob oculos habuisse videtur Iulianus *in cit. lege 32. D. de LL.* Statuta autem ciuitatum municipalium ea propter ex obseruantia vsuque praecipuam habent potestatem, quod legum nomine venire non possint, antequam a Principe fuerint confirmata. Hoc autem factum non ab obseruantia demum ac vsu momentum obligationis petendum esse, recte monet Carpzouius, *cit. loc. n. 20. Et seq.*

## §. XV.

*Vndecima* legis non obligantis causa est, si haec vel expressa principis voluntate, vel tacita, per consuetudinem contrariam; abrogata sit, virtutemque suam amiserit. Quod priorem modum attinet, dubium non est, nullam legem humanam tam firmam esse, tantamque vim obligandi habere, quin legislator aut eius successor, qui aequalem aut eandem potius cum ipso auctoritatem habet, eam penitus tollere & abrogare possit; siue prohibendo, ne posthac ista lex obseruetur, siue aliam nouam, priori contrariam legem proponendo. Tametsi enim legislator legem iustam & communi bono vtilem absque iusta causa rescindens aut reficiens minus recte faciat; maxi-



maxime quod in rebus nouis constituendis evidens esse debeat utilitas, vt recedatur ab eo iure, quod diu aequum visum est. *L. 2. de Const. princ.* ipsam tamen legis abrogationem validam esse, & legem ita abrogatam omni obligandi virtute destitui, nemo est, qui negare possit. Neque ratio eius in obscuro est: etenim homo quiuis ius habet mutandi decreta sua, quae in vim pacti vel contractus non euauerunt; ergo multo magis summus imperans. Atque hoc adeo expeditum est, vt ea quoque lex, quae clausula, ne abrogari possit, munita, nihilo secius mutari possit. Conferatur pluribus saepe mihi laudatus Ziegler. *de Iur. Maiest. Lib. 1. cap. 5. §. 89.* Herrius, *in Dissert. de lege, clausula, ne abrogari possit, munita, Opusc. Vol. 1. Tom. 3.*

## §. XVI.

Tacito Principis consensu abrogatur lex per consuetudinem. Rectissime enim, ait Zieglerus citato loco, etiam illud receptum est, vt leges non solum suffragio legislatoris, sed & tacito ipsius consensu per desuetudinem abrogentur, *l. 32. D. de LL.* Desuetudinem autem hic non accipimus priuatiue, quatenus significat non usum; sed quatenus continet implicitam consuetudinem contrariam. Non enim propterea illico sublatae sunt leges, quod populus eis aliquandiu vsus non sit; cum fieri possit, vt aut longo tempore casus eiusmodi non euenerit; aut nemo ex ea lege ius sibi reddi postulauerit. Itaque tum demum antiquantur leges, cum populus diu contrario iure vsus est. Existimat equidem Franc. Connanus, libellorum supplicum in regia Parisiensi olim magister, *Comment. Iur. Ciuil. Lib. 1. cap. 10. n. 9. Ista nugis simillima esse.*

Nam.



Nam, ait, desuetum esse dicitur, quod desit esse in usu: ergo factis non opus est; sufficit legem non observari, idque impune: velut, lex feratur, ut omnes nomina sua quotannis deferant apud magistratum; id semel atque iterum, & tertio aut etiam saepius factum; si post omittatur, desuetudine lex illa antiquabitur. Verum hoc casu non tam abrogatur, quam potius negligitur lex; at si contraria accesserint facta, maius in illis ad abrogandam legem inesse robur, ipsa rei natura dicitur. Quare secundum Connani sententiam nemo quisquam secure contra legem abrogatam aliquid patrauerit, relicta quippe pro re nata semper est magistratui coercendi facultas. Neutiquam ergo solus non usus, sed usus demum contrarius abrogare valet: pertinetque huc illud Imperatoris in lege 27. C. de Testam. quod non mutatur, quare stare prohibeatur. Iunge Ant. Nattam, Tom. III. Conf. 575. n. 35. Ant. Matthaci, de crimin. ad L. 27. T. 6. n. 8. §. Iquibus ubi dicitur, mortuosa autem constituta

## §. XVII.

Superioribus exemplis duodecimo loco accedit, quod, quae iura a certa status publici dispositione dependent, eidemque velut intime innexa sunt, ea quoque, hac mutata, vim suam amittere necesse habeant. Dantur enim leges, quarum ratio saepe vnica in praesentis temporis & status conditione, usu ac circumstantia, consistit: quale legum genus Graeci *ἐπιτηδεύματα* sive *νόμοι* *χρόνου*, inuenta vitae & temporis, nominant. Agnoscit hoc discrimen Oppiae legis disuasor, Valerius, apud Lium, Lib. 34. c. 5. esse leges, quae non in tempus aliquod, sed perpetuae utilitatis causa in aeternum latae sint; esse iterum quae tempora aliqua desiderent, leges veluti mortales ac tempor-

E

pori-



poribus ipsis mutabiles. Ex illis nullam abrogari debere, nisi quam aut vsus coarguit, aut status aliquis reipublicae inutilem fecit. Ex his, pergit, quae in pace latae sunt, plerumque bellum abrogat; quae in bello pax; ut in nauis gubernatione alia in secunda, alia in aduersa tempestate vsui sunt. Momenta ergo rerum & inclinationes temporum praecipuum sunt & politici hominis, & prudentiae legislatoriae, & artis quoque leges dextre interpretandi applicandique, caput: nec illi publicis rebus, semper commodi existunt, qui vel corruptissimae reipublicae tempora ad exemplum integerrimi moris exigunt; vel cum Catone tanquam in Platonis regno, non in Romuli fece, sententiam dicunt. Confer pluribus celeberrimum virum, Io. Phil. Dartium, tum in erudita, *de venditione liberorum*, diatriba, *cap. 3.* tum in egregio tractatu, *de pace publica*, *cap. 5. num. 6. & seqq.* vbi varia legum, cum mutatione status abolitarum, tradit exempla.

§. XVIII.

Vicinum superiori est tertium supra decimum exemplum, vbi scilicet quis temporali saltem imperio fungitur, adeoque, cum huius abrogatione, legum quoque, quas tulit, auctoritas euilescit. Exemplo hic nobis, cum edictis suis, sunt Praetores Romani. Horum enim annalis duntaxat erat auctoritas: proinde etiam edicta eorum terminum ex iure ciuili antiquo, & ante quam sublatis edictis annuis, iussu Hadriani Imperatoris substitutum edictum perpetuum, vtque ex eo ius redderetur, mandatum fuit, habebant annum vnum. Nimirum quemadmodum egebantur Praetores initio magistratus expromere, quidquid



quid ad vniuersam suam totius anni iurisdictionem pertineret; postea autem regulariter neque addere, neque detrudere vel immutare quidquam de semel proposito edicto ipsis licebat: (quod quidem initio fiebat, multisque fraudibus pandebat viam) ita robur edicta illa suum viresque, simul vbi Praetor magistratum deposuisset, amittebant; neque ex illis edictis ius postmodum & amplius reddebatur. Et hoc quidem propterea fiebat, ne talis Praetor, utpote magistratus, ius maiestatis, & potestatem constituendi iuris, ferendarumque legum sibi arrogaret solus; cum tamen haec res ad sanctissima populi reseruata spectaret; insuperque credibile sit, principio nihil aliud fere, quam quod ad formam & modum iuris dicendi pertineret, Praetores proponere potuisse; & successu demum temporis edicendo simul ius constituuisse. Quocirca edicta eorum effectum & iura legis habebant, dum & quamdiu iure magistratus secundum edictum suum ius dicebant; ablato deinceps ab eis magistratu, expirabat etiam edictorum vis & potestas legalis, & ut Cicero ait, finem adferebant iis Calendae Ianuariae, quibus creati magistratus noui, & substituti Praetores pro iurisdictione sua edictum aliud proponebant. Conf. Ian. Vinc. Grauius, *de ortu & progressu iur. ciuil. lib. I. §. 38.*

§. XIX.

*Decimo quarto* illud etiam de legum vi atque efficacia omnium fere consensu receptum est, ut si lex aliqua fundetur in praesumptione aliqua facti, quod factum tamen reuera ita se non habeat, tunc ea lex non obliget; quia scilicet, veritate facti deficiente, deficit totum legis



fundamentum, ipsiusque legislatoris voluntas, sine qua sanctio nulla potest intelligi. Quando autem lex in tali praesumptione, tanquam causa impellente, sit, fundata, ex eius materia, verbis, aliisque circumstantiis est colligendum. add. Grot. *de Iure B. & P. L. 2. cap. 11. §. 6.* ubi etiam docet, quod similiter, si promissio aliqua fundata sit, in praesumptione quadam facti, quod non ita se habeat, naturaliter nulla eius sit vis; quia omnino promissio non consentit in promissum, nisi sub quadam conditione, quae re ipsa non extitit.

§. XX.

Praeterea *decimo quinto* illud extra controuersiam positum est, quod non humanae solummodo, sed etiam quaedam diuinae leges, sub tacita hac conditione latae intelligantur, ut non obligent in extrema & inuitabili necessitate. Intelligimus autem per hanc eiusmodi statum, in quem quis sine culpa sua prolapsus, & ex quo tamen summum periculum vitae, membris aut rebus ipsius imminet, quodque non nisi vnica ratione euitare licet, nimirum vel suscipiendo actum de iure prohibitum, vel omittendo, quod a lege iniunctum erat, officium. Sane & benignissimus supremusque Legislator Deus, & rector quoque alicuius ciuitatis, ob oculos habuisse censetur conditionem naturae humanae, & quam non possit non homo refugere & amoliri illa, quae ad sui destructionem tendunt. Ea itaque ex causa leges in genere latae iudicantur excipere casum necessitatis, seu non obligare, quando ipsarum obseruationem comitaturum esset malum, humanam naturam destruens, aut communi hominum

con-



constantia superius: nisi vel expresse vel propter negotii naturam iste quoque casus sit comprehensus, prout v. g. vitae conservandae causa nihil faciendum est quod honorem diuini Numinis laedat. Quod ad reliqua vero praecepta notum in vulgus etiam prouerbium est: *neccitas non habet legem, cap. 5. in fin. X. de Consuet.* Hinc etiam veterum iudicio, neccitas magnum est imbecillitatis humanae patrociniū; legem frangit, & quidquid coegit defendit. Compara praeclare hoc argumentum tractantes Grotium, *Lib. I. c. 4. §. 7.* Pufendorf. *de I. N. & G. Lib. 2. c. 6.* Fritschium, *de praesidio neccitatis contra legem.*

§. XXI.

Interdum etiam, quod *decimo sexto* notare visum est loco, accidit, vt quamquam lex legi in se non sit contraria, casu tamen atque euentu haud raro ita collidantur, vt nulla ratione vtrique satis fieri possit; adeoque altera vim & obligandi virtutum tantisper saltem neccario amittat. Est equidem anceps & late diffusa huius rei disputatio, nimirum ad intelligendum, quibusnam casibus haec vel illa lex obligandi potestatem suamque adeo officium perdat; ceterum breuissimis tamen rem ita definire licet: quod lex nobilior & superior in collisione praeferi debeat legi infirmiori ac ignobiliori. Fortissima autem omnium sunt officia hominis ergo Deum; itaque reliqua omnia ad hisce vinci par est. Quam ob causam, quod supra iam dixi, nihil quidquam faciendum est, quod honorem Dei laedat, adeoque huic praecepto officia erga nosmet ipsos, & alios homines, semper veniunt postponenda. Ceterum vbi inter haec etiam aliqua exoritur pugna,

E 3

pugna,

III XX 2



pugna, tenendum pro regula est: quod in paritate causae melior sit conditio propria, seu amor incipiat a se ipso. Plura desiderantem ablego ad eruditissimam commentationem B. Hertii, *de Collisione legum, quae habetur Opusculorum Volum. 1. Tom. 1. pag. 129.*

§. XXII.

*Decisum septimum* propositi argumenti exemplum est, si lex in rigore sua accepta, cum manifestissima coniuncta foret iniustitia, adeoque temperamento aequitatis, seu interpretatione legis restrictiva, opus sit, qua monstreretur, casum aliquem peculiarem sub lege vniuersaliter concepta, ex praesumta legislatoris voluntate, non comprehendi, istamque adeo propter haec vel illa circumstantiarum merita non esse obligatoriam, eo quod alias absurdi quid inde foret secuturum. Quum enim non possint leges ita scribi, ut omnes casus, qui quandoque incidant, illis comprehendantur; sed sufficiat, ea, quae plerumque accidunt, contineri, ut est in lege 10. *D. de LL.* ideo iudices, quorum est generalia legum decreta, ad speciales casus applicare, debent a lege excipere, aut, si maius, exceptos declarare, eiusmodi casus, quos excepturus fuerat ipse legislator, si praesens in iudicio adesset, aut tales casus ab initio praeuidisset. Iustitia enim legi obsequitur non secundum verba, sed ad mentem legislatoris. Ex quo simul apparet, quodnam verum sit aequitatis hoc quidem sensu acceptae, fundamentum, quove nomine ea ab aequitate cerebrina, *von der Hirnbilligkeit*, discriminetur. adde Pufend. in laudato superius tractatu, *de offic. hom. & civ. Lib. 1. cap. 2. §. 10.*

§. XXIII.



## §. XXIII.

Ex post facto interdum effectu suo priuatur sanctio per indulgentiam, seu, vt communiter appellant, dispensationem. Quae nihil aliud est, quam actus eius, qui potestatem habet ad tollendam legis obligationem, in personis, factis, aut rebus particularibus, seu singularibus, quatenus id fieri potest sine imminutione iustitiae, aut publicae vtilitatis. Qua ex definitione perspicuum est, (quod *decimo octauo* loco heic mihi monere visum) insignem plane differentiam intercedere inter aequitatem & indulgentiam; illa enim ostendit, quod casus sub lege nunquam fuerit comprehensus, haec ab obligatione legis eum eximit; illa fit ab interprete & iudice, haec a summo imperante; illa fieri debet, haec potest. Consule, si videretur, pluribus Hugonem Grotium, in libro singulari, *de Aequitate, Indulgentia, & Facilitate*. Quoniam vero dispensatio partem constituit potestatis legislatoriae, parique velut passu cum hac ambulat; manifeste sequitur, non posse principem obligandi virtute priuare leges diuinas; siue hae ex lumine naturalis rationis, siue sacrae reuelationis, nobis innotescant. Sed haec in praesenti pluribus persequi nihil ad institutum meum attinet.

## §. XXIV.

Hoc etiam, *decimo nono loco*, expeditum esse reor, quod obligatio legis regulariter saltem referatur ad actus futuros, non ad praeteritos, ne scilicet ante prohibitionem ignorantes in damnum incidant, *cap. 1. & fin. X. de Constitut.* & quia in praeteritis iam quaesitum subditis ius est, quod nec princeps cuiquam sine suo scelere auferre potest.



poreft. Deinde reuera quoque talismodi lex obligatio-  
 nem induceret ad impossibilia, quippe quod factum infe-  
 ctum fieri nequeat. Praeclare hinc Imperatores in lege  
 7. C. de LL. sancrunt: *Leges & constitutiones futuris, certum  
 est, dare formam negotiis, non ad facta praeterita reuocari.*  
 Est tamen notabilis huius rei limitatio: *nisi quid nomina-  
 tim & de praeterito tempore, & adhuc pendentibus negotiis  
 cautum sit.* Exemplum est in lege fin. *Cod. de pactis pign.*  
 ubi Constantinus Augustus in haec verba rescripsit: *Quo-  
 niam inter alias captiones praecipue commissoriae pignorum  
 legis crescit asperitas, placet infirmari eam, & in posterum  
 omnem eius memoriam aboleri. Si quis igitur tali contracta  
 laborat, hac sanctione respiret; quae cum praeteritis praesentia  
 quoque repellit & futura prohibet. Creditores enim  
 re amissa iubemus recuperare, quod dederunt. add. leg. 17.  
 §. 4. & l. 21. in fin. Cod. de SS. Eccles. l. 17. Cod. de fid.  
 instrum.* Secunda vero superioris pronuntiati limitatio  
 est, si lex noua veteris legis solum sit declaratoria. Hinc  
 quoties lex vel constitutio noua ius antiquum firmat &  
 declarat, tum non solum ad futura, sed etiam ad praeterita  
 pertinet: nam qui veterem legem saltem interpretatur,  
 nihil mutat aut noui constituit. *arg. l. 21. §. 1. D. Qui  
 Testam. tac. poss. Nouell. 19. Praefat. in fin. add. Gail.  
 Lib. 2. obseru. 9. Tabor, de altero tanto, Parte 3. §. 7.*

## §. XXV.

In disceptationem hoc loco veniat, vtrum ligandi  
 virtute nihilominus polleat lex, tametsi ille, ad quem ea  
 refertur, iam luerit poenam, legis transgressioni statutam?  
 Praejudicialis videtur esse quaestio, an obligatio legis  
 obe-



obedientiam simul & poenam, an vero alterutram solummodo requirat? Nobis verior videtur sententia, regulariter eandem, qua partem definitivam, qua vindicativam, legis esse obligationem: adeoque nexibus eius per praestationem poenae neminem liberari. Apertissimum sane est, non posse, qui propter furtum commissum fustibus caesus est, posthac delictum hoc impune perpetrare. Neque enim ex delicto suo quis meliorem facere debet suam conditionem, lege 134. §. 1. de R. I. Et sanctiones poenales sunt velut sepimentum legum, adeoque illas non tollunt, sed firmant. Confundunt etiam, qui aliter sentiunt, poenas legales, cum testamentariis atque conventionalibus: namque in his demum verum est, quod poenae praestatio obligationem tollat. Accedit etiam hoc, quod ad obedientiam legi praestandam quis per se obligatus; ad poenam autem spontanea legis violatione, quasi singulari ratione, quis semet ipsum sciens volensque obliget. Quanquam enim poena infligenda est inuitis, tamen hoc ita accipiendum, si poenam in se spectes, ac praesens tempus, quo gula laqueo vel ferro fragenda est; verum si causam poenae, hoc est, ipsum delictum consideres, illa inuitis non infligitur. Qui enim scit, actum aliquem quid operari si eum perficit, utique eo facto velle videtur, quod operatur.

## §. XXVI.

Venio ad *vigesimam* legis non obligantis speciem. Haec vero in eo consistit, si legislator seriam quidem voluntatem suam, de faciendo aliquo vel omitendo, subiectis significat, sed hoc tamen magis per modum consilii aut admonitionis, quam legis proprie sic dictae. Ita suadet etiam

F

etiam



etiam interdum siue consilium dat Iustinianus; sed ut amicus, non ut legislator. Extat huius generis consilium aduersus substitutorum insidias, in §. 3. *Inst. de Pupill. substit.* Similiter Theodosius M. in l. 2. §. fin. *Cod. Theod. de secund. nupt.* suasit tantummodo, ut & mares abstineant secundis nuptiis, extantibus liberis; vel ut eadem subeant, quae mulieres. Suasio autem legis non est coniuncta necessitati. Ideoque quod suaserat Theodosius M. ei demum Theodosius Iunior perfectae legis necessitatem adiecit, in lege, *generaliter*, §. *Cod. de sec. nupt.* Dantur vero plura legum suasioiarum exempla. Sic in Nou. 22. *cap. fin.* suadet Imperator, liberis primi matrimonii non minus relinquit, quam secundi. Verba legis sunt: *hanc itaque partem de aequitate* (in fonte est, *περι τῆς ἰσότητος*, de aequalitate seu pari conditione) *filiorum ex priore & secundo matrimonio venientium, adhortantes potius, quam sancientes, dicimus; συμβαλευόντες μᾶλλον, ἢ νομοθετέοντες, Φαμέν.* De cetero confer l. 1. *D. de Inoff. testam.* l. 24. *D. de Rei vindic.* l. 17. §. 1. *D. de R. N.* l. 3. *Cod. de Transact.* Spectant huc etiam Eusematica Modestini, quae itidem suasioes sunt & consilia, in quibus non inest sequendi necessitas. Add. Cuiac. ad Nou. 22. & in *Observat. lib. 12. obs. 32.* Marcil. ad §. 3. *Inst. de Pupill. substit.*

## §. XXVII.

Quemadmodum vero non omnia, quae in iuris nostri arte suadentur, perfectae legis, affirmatiuae scilicet, rationem habent: ita quoque, quod vigesimo primo loco obseruandum est, non omnia quae a iure consultis nostris dissuadentur, in vim legis prohibitiuae, & ad poenam susti-



sustinendam, obligant. Singulare huius rei exemplum occurrit in expositione partus & necae apud veteres. Nimirum quamquam in Vrbe Roma non licuit parentibus ex lege Romuli, ac XII. Tabularum, necare aut exponere infantes recens natos, in primis masculos & ex sequiore sexu filias primogenitas, nisi illi infantes a vicinis quinque proximis iudicati essent monstrosi, debiles, aut insignes ad deformitatem; ac si contra facerent parentes, constitutae erant istas leges poenae: tamen infecutorum temporum mores istas leges vsque adeo in potestatem suam redegerunt, vt parentibus facerent ius, liberos recens natos, qualescunque essent, exponere aut necare, sine metu criminis. Interim ne id scelus in se admitteret pater, apud sapientes ac bonos in iuris praeceptis omnino fuit. Hocve sensu scribit Paullus *l. 4. de agnoscendis & alendis liberis*: *Necare videtur non tantum is, qui partum perfocat, sed & is qui abicit, & qui alimonia denegat, & is quis publicis locis misericordiae causa exponit, quam ipse non habet.* Nichilo secius etiam sub Christianis Imperatoribus, & nominatim sub Constantino, fuit licita & impunita infantum expositio. Primi autem, quod haecenus pro vitio saltem, non pro crimine habebatur, palam prohibuerunt Imperatores, Valentinianus, Valens, & Gratianus *l. 2. C. de infantib. exposit.* Compara, si lubet, pluribus haec exponentem praestantissimae eruditionis IC. Gerhardum Noodt, in, *de partus expositione & necae apud veteres*, libro singulari; vbi tum in praefatione, tum *cap. 10.* perspicue monstrat, inter illa, quae dixi, praecepta ac iuris regulas, seu leges, ingentem esse differentiam: habere enim regulam legis necessitatem, ac, si negligatur, vigore publicae disciplinae vindicari; praeceptum vero neque obligare



quem iure ciuili, neque cui poenam minari, nisi diuinam: capite autem septimo laudatus vir complura in no-  
stram rem cumulauit exempla.

§. XXVIII.

Sequitur vt paucis dispiciam, an etiam inter leges  
diuinas quaedam sint, vera obligandi potestate carentes.  
Sane pontificiis multus est de consiliis euangelicis sermo.  
Sic Bellarminus, *lib. 2. de membr. eccles. milit. cap. 7. Con-*  
*silium, ait, perfectionis, est opus bonum, a Christo non im-*  
*peratum, sed demonstratum, non mandatum, sed commen-*  
*datum &c.* Verum hæc nostrates Theologi non admittunt,  
meritoque contendunt, omnem institutionem atque do-  
ctrinam diuinam, efficacem in se habere obligandi vim,  
sequendamve esse necessario. v. B. Chemnit. *Loc. de*  
*Discrim. praecept. & consil. B. Musæus, Diss. 1. de Commun.*  
*sub vtr. §. 7.* Instituta vero Apostolorum particularia h. e.  
ad decus & ordinem huius vel illius ecclesiae vnice spectan-  
tia, vti est illud de velandis mulieribus, I. ad Corinth. XI.  
huc non pertinent: quo de argumento ex nostratibus præ-  
clare egit Iac. Gothofredus.

§. XXIX.

Quid vero de iure naturae hac parte dicendum.  
Sane in moralibus etiam rebus consilio locum esse, nec  
omnia legibus praescripta, admittit Grotius, *Lib. 1. cap. 1.*  
*§. 9.* Plenissimus vero in hoc adstruendo est vir illustris,  
Christianus Thomafius, *Tom. VI. Obs. Halens. Obs. 27. vt &*  
*in Fundamentis Iuris Nat. & Gent. Lib. 1. c. 4. alibique pas-*  
*sim.*



*sim.* Ego breuiter sic sentio: Humana natura est mater iuris naturalis; huic enim quidquid per dictamen rectae rationis debetur, iuris naturalis est, adeoque praestandum. Praeclare hinc Seneca, *tunc demum*, inquit, *intelliges, quid faciendum tibi, quid vitandum sit, cum didiceris, quid naturae tuae debeas*; *epist.* 118. 120. 121. Tuoer hinc cum veteribus, summam huius disciplinae propositionem esse: *Naturae humanae conuenienter viuere*; potestque primum hoc principium multis oppido argumentis euidentissime demonstrari. Sicut autem ea quae naturae tuae, animali pariter ac spiritali, debes, in ista propositione apertissime insunt; ita quoque clarissime ex ea fluit, necessum esse, vt etiam in ordine ad Deum, naturae quippe auctorem & conseruatorum, nec non in ordine ad alios homines, vt pote congeneres tibi, eiusdemque tecum naturae participes, praecceptum illud obserues; maxime quod ex illo fonte reliqua omnia officia pronissimo velut aluceo promanant; siue ea ad naturam in se ac absolute spectatam, siue ex hypothese certi status aut instituti consideratam, referantur. Ceterum generatim, quae naturae debentur, duplicis generis sunt, perfectae scilicet, vel imperfectae obligationis. Perfectae obligationis officia sunt; sine quibus natura humana salua esse vel subsistere plane nequit, v. g. officium de non laedendo vel semet ipsum vel alios, &c. Imperfectae obligationis officia sunt, quae expediunt naturae, illiusque ad bene esse, vt ita loquar, pertinent; quo loco, intuitu aliorum, sunt promiscua humanitatis officia. Ista haec vtriusque generis officia si negligantur, sequuntur poenae naturales, maiores vel minores, pro violati officii ratione; respondent enim hae etiam poenae delictorum magnitudini, & quidem regulariter secundum illud Poetae:



per quod quis peccat, per idem punitur & idem. Interim certissimum est, nullum peccatum committi contra ius naturae, quin hoc simul committatur aduersus naturae humanae felicitatem, & vice versa. Sicut autem omnis lex proprie sic dicta debet esse poenalis; ita ex his apparet, omnia officia iuris naturalis esse leges proprie sic dictas, hoc est, ad obedientiam pariter ac poenam obligatorias; idque non tam ob manifestam vtilitatis rationem, quam propter naturae auctoris voluntatem: iunge Pufend. *de Off. H. & C. L. 1. C. 3. §. 10.*

## §. XXX.

*Vigesimum secundum* legis non obligantis exemplum praebet, quae communiter *permissiua* appellatur; prout *permittere* etiam inter legis virtutes refertur *l. 7. D. de LL.* Sed enim haec saltem respectu mei, & quatenus ius mihi dat, ad aliquid iuste agendum, non est obligatoria; ceterum respectu alterius iubere quoque aut prohibere aliquid potest; quatenus videlicet tertius aliquis impedimentum mihi ponere velit, quo minus legis permissione & beneficio utar. Ita permittit mihi lex testamentum facere; quam ob rem qui mihi hanc libertatem circumferibere audeat, a lege coercetur, sustinetque iustam poenam. conf. Nou. *115. c. 3. §. 9.* add. Vlr. Huberum, *de Iure ciuitat. L. III. Sect. 1. cap. 2. n. 27.* vbi inter alia probe monet, permissionem differre a tolerantia: nam quod permittitur, id iuris habet effectum; toleratur, quod lex impune saltem transmittit, vt auaritiam, inuidiam, & similia.

## §. XXXI.

*Tertia supra vigesimam* legis non obligantis species est vbi ea exterarum ciuitatis populo praescripta, nostrae



strae autem iura reipublicae non est adepta. Non possum itaque B. Stytkio, patri, subscribere existimanti, Imperatorum de feudis constitutiones, quae in Longobardorum libellis habentur, eo quod tales sint, Germaniae quoque Principes obligare. Magis vero a Scipionis Gentilis, aliorumque discedo sententia, qui tradunt, recensum regaliū in constitutione Friderici II. 2. f. 56. non Germaniae tantum, sed & ceteris applicari posse regnis, quoniam iura, quae ibi recensentur, ad omnes supremos principes ex aequo pertineant: quod minus accurate & contra disciplinae ciuiliis scita. Illa namque regalia citato loco duntaxat recensentur, de quibus in Italia mota fuit quaestio. Opportunum etiam hoc loco esset ad disputandum, quousque ciuiliis pariter atque canonici iuris se extendat auctoritas ac obligatio. Verum contrahenda mihi sunt scriptionis vela, transmittique silentio debent plura alia, ad thematis mei illustrationem comparata argumenta. Interim ut breuissimis me expediam; standum esse propter receptionis vim, in causis priuatorum, arbitrator, vtriusque iuris illius dispositioni, in quantum non repugnat iuri diuino naturali vel reuelato, iuri item patrio generali vel speciali, scripto vel non scripto. Contra in illis, quae statum publicum spectant, neque veteres Imperatores, neque Pontifices R. audiendos esse, persuasum habeo. Denique concludo: ipsos etiam Germaniae Proceres obligari iure ciuili, canonico, & feudali, quae hoc vsu ac obseruantia supremarum Imperii curiarum vim & auctoritatem iuris publici nactum est.

Tantum hac vice.

DEO SIT LAUS HONOR ET GLORIA.



PRAESIDIS EPISTOLA  
AD NOBILISSIMUM, DOCTRINAQVE ET VIRTUTE ORNATISSIMUM  
DISSERTATIONIS AVCTOREM AC DEFENSOREM.

**M**eu in Te affectum publica scriptione testor, suavissime Bochl.  
Dignus vero es, qui non a me tantum, sed & ab omnibus, qui  
virtutem Tuam propius norunt, maxime ameris. Pulcherrimae nam-  
que in Te insunt animi dotes: easque antehac in Musis Tubingen-  
sibus gnauiter excoluisti. Post in nostro etiam Lyceo probe me-  
mor fuisti nominis, quod inter iuris cultores professus; idque, vel me  
tacente, publicum eruditionis specimen praeclare loquitur. Sane in  
frequenti floridaque huius loci Iuuentute, quae non solum audien-  
di auida, sed &, quod Dei munus, modesti moris, meliorisque vi-  
tae exemplo, Academiae Ienensis famam magis magisque ampli-  
ficatum it, Tu primas vsque partes strenue sectatus es. Et qui-  
dem legitimae disciplinae viam, meo ductu, sic ingressus, vt per  
amoenissima naturalis, ac civilis, feudalis item, publici, & cano-  
nici iuris stadia, cursum absolueris feliciter; additis quoque, velut  
coronidis loco, causas in foro agendi praeceptis. Gratulor itaque  
Tibi de rebus egregie actis: &, quum Academicis etiam dignis sis  
honoribus, vt amplissimum virtutis industriaeque Tuae fructum con-  
sequaris in patria, precor ex animo. Vale, Amicorum carissime, ac me  
amare perge. Dab. Ien. d. xxvi. Sept. MDCCLXIX.

**E**sset nonnullas 'guttas inferre pro Fundo,  
Reddere si vellet calamus praeconia noster,  
Nam laudes superas omnes tentamine sua  
En velut ingenium, studium quoque comprobat illud;  
Sic & iudicium prodit mirabile planum.  
Tradis iam Legem, quae deuincere negatur,  
Vna nos autem, sentimus, Lege teneri.  
Scilicet vt nostrum quiuis gratetur amicus:

Bocli, quae TIBI, dona,	Bonus dedit Arbitrator Bis,
Omnibus extollas	Omnino Numen in altis!
Crede, suprema manus	Clementer contulit isthaec,
Horis ut quaeuis	Hilaretur honore Iehouah.

his paucis Verbis Congaudent sympathotae.













Nur für den Lesesaal!

ULB Halle 3  
003 594 416




*Sb*











Farbkarte #13

B.I.G.

1719, 1 a  
~~130~~ 1

Q. D. E. F.  
DISSERTATIO ACADEMICA  
DE  
**L E G E**  
**NON OBLIGANTE**

QVAM  
RECTORE ACADEMIAE IENENSIS MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
**DOMINO**  
**WILHELMO HENRICO**  
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM  
ANGARIAE WESTPHALIAEQVE  
ET RELIQA  
PRAESIDE  
**CASPARE ACHATIO BECKIO D.**

IVRIVM PROFESSORE PVBLICO EXTRAORDINARIO  
ET IN CVRIA PROVINCIALI SAXONICA ADVOCATO ORD.  
*PATRONO AC PRAECEPTORE SVO  
AD CINERES VENERANDO*

DIE SEPTEMBR. ANNI MDCCXIX.

L. H. Q. C.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI DECENTER  
SVBMITTIT

RESPONDENS AVCTOR  
**ERNESTVS FRIDERICVS BOCH**  
DVRLACO-MARCHICVS

IENAE LITERIS FICKELSCHERRIANIS

